

- §. 4.
- vel Patrimonia. Successorem sibi designandi facultas vero obtinet, saltem secundum Leges, in Imperio Russico. (1)  
(1) Add. §. 25.
- §. 5.
- Hæreditaria vero Notandum tamen est, in nonnullis Regnis hæreditariis, saltem interdum, aliquid admixtum conspici ex Electione, scilicet in Regno magnæ Britannia (1) & in Imperio Ottomannico. (2)  
(1) Conf. §. 14. (2) vid. §. 20.
- §. 6.
- & Electiva passim sunt mixta. Vicissim in nonnullis Regnis, ubi Electio in usu est, admixtum aliquid cernitur ex Jure hæreditario, nempe in Germania (1) atque Suecia. (2)  
(1) Add. §. 17. (2) vid. §. 28.
- §. 7.
- Successio Filiorum Filii tantum succedunt in hæreditariis Regnis Gallia, (1) Ottomannici Imperii, (2) Borussia (3) & Sardinia. (4)  
(1) Vid. §. 16. (2) §. 20. (3) §. 24. (4) §. 26.
- §. 8.
- & Filiarum, Filia contra Successionis capaces sunt in Regnis Bohemia, (1) magnæ Britannia, (2) Dania, (3) Hungaria, (4) Portugallia, (5) Russia (6) & Suecia. (7)  
(1) Conf. §. 13. (2) §. 14. (3) §. 15. (4) §. 19. (5) §. 23. (6) §. 25. (7) §. 28.
- §. 9.
- Mixta, In Hispania denique, pro diversitate casuum, mox soli Filii successuri sunt, mox etiam Filia. (1)  
(1) Conf. §. 18.
- §. 10.
- Incerta. Ad quamnam speciem Sicilia Regnum referendum sit? nescimus. (1)  
(1) §. 27.